

individualis essentiae) partes & rationes omnes concipiuntur, ut *sigillatim* existentes, & ad hoc exemplar talis speciei realiter exhibendum (ad gemmam in annulo, quem gestamus, constituendam) sub certâ quantitate IUXTA se mutuò COLLOCATÆ. Utrisque positionibus intellectus utrimque præconceptam habet essentiam actualem, & quidem totam ex artis cognoscendi præscripto completè, nempe tum compositivè tum divisivè, spectatam: Sed utrumque saltem obiter, ut cognitionis initium hoc loco fiat. Unde sicuti *Materiae* pariter & *Formae* signatae conceptus; ita *simultaneus* pariter & *singularis* conceptus actualis essentiae, PRINCIPII potius, quam *scientiae perfectae*, nomen habet.

§. 2. Quod actualis essentiae *simultaneam* positionem attinet in corpore, dici solet eadem, ut in aliis rebus, τὸ SEMEL, quò nihil aliud innuitur, quàm actualis essentia corporis *tota simul*, secundum omnia requisita, quanta quanta fuerit. Et hæc ipsa denominatio magis *absoluta* potest appellari, quàm corpus propositum non extra corpus, sed intra sui complexum ad partes omnes, ad omnia requisita, tanquam *simul presentia*, refertur; perinde scilicet ut superius, conceptu *Materiae*, vel *Numeri partium*, *absoluta corporis* denominatio fiebat.

§. 3. Sed quemadmodum extra se cum sui similibus collato corpore signate spectato pro *materia* dicebatur *GENUS*, & pro *Número* partium substituebatur *UNITAS* ex *Número* quoad reliquas unitates extraneo, dum corpus ita respectivè tanquam unum ex eorum numero concipiebatur, quæ realiter quidem à se mutuò diversa, necessariam tamen & perpetuam similitudinem inter se foveant, ut conceptu generico prorsus æqualiter inde denominata pro iisdem eatenus haberi possint; ita similiter extra se cum sui similibus & æqualibus collato corpore quodam actuali, pro *tota simul* essentia dicere solemus *VICEM*, pro τὴν *semel*, i. e. totaliter simul, respectivè dicimus *Nunc*: & pro tanto partium in illo corpore simul sumendarum *numero*, qui sub totâ simul essentia continetur, dicimus *unitatem* (unam vicem) ex numero quodam (nempe *Vicium*) omnium huic unitati quoad reliquas extraneo.

§. 4.